UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Constitvtiones Societatis Iesv

Ignacio <de Loyola>

Romae, 1570

Qvod Constitvtiones peccati obligat[i]onem non inducunt. Cap. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68489

Visual Library

C teneatur.' Poſtmodum * abſoluto officio coram domeſticis pro more ſepeliatur, ' & mane proximo poſt eius mortem omnes Sacerdotes domeſtici pro eius anima miſſæ ſacrificium offerant; reliqui uero peculiari oratione pro eodem diuinam implorent clementiam, atque in eo perſeuerent ulterius, iuxta Superioris arbitrium, & cuiuſuis priuatam deuotionem, & obligationes quæ in Domino intercedunt.

C ¶ *Vſus habet, vt officium dicatur tono mediocriter alto, ſine cantu; præſentibus in eccleſia domeſticis cum ſuis candelis accenſis, & cæt.*

4 Reddantur etiam certiores alij de Societate in locis illis, quæ Superior conuenire iudicauerit, vt ſimile officium præſtent; ita ut charitas erga eos qui uita perfuncti ſunt, non minus, quàm erga uiuentes, in Domino demonſtretur.

QVOD CONSTITVtiones peccati obligationem non inducunt. Cap. V.

1 CVM exoptet Societas uniuerſas ſuas Conſtitutiones, Declarationes, ac uiuendi ordinem omnino iuxta noſtrum Inſtitutum, nihil ulla in re declinando, obſeruari; optet etiam nihilominus ſuos omnes ſecuros eſſe, uel certe adiuuari, ne in laqueum ullius peccati, quod ex ui Conſtitutionum huiuſmo-

di, aut ordinationũ proueniat, incidant: Viſum eſt nobis in Domino ut excepto expreſſo uoto, quo Societas Sũmo Pontifici pro tẽpore exiſtenti tenetur, ac tribus alijs eſſentialibus Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, nullas Conſtitutiones, Declarationes, uel ordinem ullum uiuendi poſſe obligationem ad peccatum mortale uel ueniale inducere; niſi Superior ea In nomine Domini noſtri IESV Chriſti, uel In uirtute Obedientiæ iuberet; quod in rebus, uel perſonis illis, in quibus iudicabitur, quòd ad particularem uniuſcuiuſque, uel ad uniuerſale bonum multum conueniet, fieri poterit; & loco timoris offenſæ, ſuccedat amor & deſiderium omnis perfectionis: & ut maior gloria & laus Chriſti Creatoris, ac Domini noſtri conſequatur.

SEPTIMA

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN